



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii
IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali
Benedictina Universitate Salisburgensi**

König, Robert

Salisburgi, 1725

VD18 80460526

13. De Torneamentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61800)

TITULUS XIII. De Torneamentis.

SUMMARIA.

1. *Quid sint torneamenta?* 2. *Qua poena occidentis, & occisi in torneamentis?* 3. *Sitne hadiedum prohibita?*

UT vitentur homicidia, Ecclesia vitari voluit torneamenta, duella, & artem sagittariam.

§. I.

Torneamenta dicuntur nundinae, vel feriae, in quibus milites ex condicto convenire, & ad ostentationem virium suarum, ac audaciae temerè congregari solent. Vallens. *h. t. n. 1.*

§. II.

Poena in torneamento pugnantium est: Qui alium in torneamentis interficit, reus est homicidii, & quia operam dedit rei illicitae, fit irregularis per *c. 10. & 20. de Homicid.* Interfectus verò Ecclesiasticà sepulturâ privatur, si animo ludendi, ac pugnandi accesserit, non si alia de causa. *c. 1. & 2. h. t.* Alias etiam poenas statuit Clemens V. quas tamen sustulit Joannes XXII. in *Extrav. un. Eod.*

Ex quo textu colligere est, torneamenta, & hastiludia, prout nostris temporibus inter Nobiles loriceis, & galeis munitos quandoque instituuntur, cum moraliter loquendo nulli inde periculum vitæ imminet, sub prædicta prohibitione non contineri, atque ideo, licet aliquando præter opinionem contingat, hominem occasione ejusmodi ludi, vel exercitii occidi, nec occiso Ecclesiasticam sepulturam denegandam, nec occidentem, quasi culpabiliter, & ex ludo prohibito necem intulerit, judicandum esse, ut rectè docet Navarr. in *Man. cap. 15. num. 9. & 21.* Panorm. in *c. 1. h. t.*

Barb. *ibid. n. 2.* cum communi.

bus irregularitatibus ex delicto occulto provenientes, excepto homicidio voluntario, & aliis delictis ad forum contentiosum deductis.

44 Homicidium merè casuale, quod nempe sine omni dolo, & culpa, casu solum fortuito evenit, nullam prorsus poenam meretur. *l. 1. & 5. C. Ad legem Corn. de sicar. Const. crim. Caroli V. art. 146. in pr.*

§. IX.

45 Affinis homicidio est mutilatio, quæ est imperfectum veluti homicidium, utpote quæ quis alteri rapit non quidem se totum, ut fit per occisionem, sed aliquod sui membrum: membrum, inquam, id est, talem partem, quæ distinctum habeat officium in corpore humano; ut manus, pes, oculus, auris; quod si enim pars speciale officium in corpore humano non habeat, tametsi aliis opem ferat, ut cartilago, dens, aut digitus, propriè membrum non dicitur, nec ejus abscissio mutilatio, arg. *l. 10. ff. de Edil. edit.* ubi digitus appellatur *aliquid membri.* & *c. exposuisti. de Corp. vitiat.* ubi is, cui dimidia palma manus cum duobus digitis abscissa est, solum dicitur *debilis, & deformis.* P. Engl. *h. t. n. 52.* Covarr. in *repet. Clem. furiosus. h. t. p. 3. in pr. n. 8.*

Poena mutilationis est irregularitas. *c. fin. h. t. in 6.* quoad effectum enim inducendi irregularitatem & ab Ordinibus impediendi mutilationem cum occisione æquiparari videas in *Clem. un. h. t. c. 4. de Raptorib. c. 1. de Cleric. pug. in duell.* At cave, ne poenam hanc ad debilitationem extendas, quæ membrum aliquod sine reali separatione à corpore ad suas functiones inutile redditur; quippe hæc debilitatio mutilatio non est, nisi inchoata & improprie dicta, ad quam dispositio juris Canonici tanquam odiosa porrigenda non est, arg. *c. odia. de Reg. Jur. in 6.*